



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **IRAPUATENSIS**\* IN MEXICO NOVA CONDITUR DIOECESIS IRAPUATENSIS. Venerabiles Fratres Albertus Suárez Inda, Archiepiscopus Metropolita Moreliensis, et Iosephus Guadalupe Martin Rábago, Episcopus Leonensis, audita Conferentia Episcopali Mexicana, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, quibusdam distractis territoriis a circumscriptionibus ecclesiasticis suis, nova conderetur dioecesis ad satius providendum spirituali bono Christifidelium ibidem commorantium. Nos, prae habito faventi voto Venerabilis Fratris Iosephi Bertello, Archiepiscopi titulo Urbis Salviae et in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis ad motas preces audiendas putamus. Nostra igitur potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Moreliensi separamus integrum territorium municipiorum: *Abasolo, Cuernavaca, Huanimaro, Jaral del Progreso, Salamanca et Valle de Santiago*, et integrum territorium paroeciarum municipii *Pénjamo: Nuestra Señora de Guadalupe de Pénjamo, Señor de la Misericordia, Nuestra Señora de los Remedios, San Francisco de Asís, Nuestra Señora de Guadalupe de Tacubaya et San Isidro Labrador*, a dioecesi autem Leonensi seiungimus integrum territorium municipiorum *Irapuato et Pueblo Nuevo*, atque ex ita distractis locis novam constituimus dioecesim *Irapuatensem*. Sic conditae Ecclesiae sedem episcopalem in urbe «Irapuato» ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo in honorem «Nuestra Señora de la Soledad» dicatum, ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut in ipso Canonice Capitulum, ad iuris normam, instituat. Praeterea dioecesim Irapuatensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Ludovici Potosiensis eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore ipsius metropolitanae Sedis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges amussim temperentur. Quae statuimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Iosepho Bertello, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Mexico, eidem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, eum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Ianuarii, anno Domini bismillesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOANNES B. card. RE <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

*Apost.*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana